



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVII. Enumeratio eorum quæ discenda sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPUT XVII.

Enumeratio eorum quæ discenda sunt.

*Post longif-
sima studia
plurima
ignoramus.* §. 1. **I**mmensa vis & multitudo eorum est, quæ discenda nobis proponuntur, tanta vero nostra imbecillitas, ut vix vnam ex omnibus partem, perfecte teneamus. Quis enim post multorum annorum studia, magna illa de Deo mysteria, de angelis, de animabus cognoscit? Non potest mens illa tam celeris, tam actiuosa, tam omnium rerum curiosa, quid ipsa sit, statuere. De punctis, & lineis, de rerum corporatarum connexionibus, & *συμμετρίαις*, post tot voluminum millia, ad sepulchrum omnes ignorantiam ferimus. Sed hæc deplorare stultum est, cum futuræ vitæ nobis claritas, scientiaque promittatur; ad superbiam tamen edomandam, sepe nostræ nobis tenebræ sunt inculcandæ.

*Oratio scien-
tiarum na-
turalis, &
artificialis.* Duplex scientiarum ordo constituendus est, alter est Methodi: alter naturæ. Methodi fere hanc obseruant. Ut primo Grammatica poësi, eloquentia, historia, iuuentur poliat, deinde in Logica, Physica, Mathematicis, Metaphysicæ, & Philosophiæ moralis subtilitate exerceatur. Hinc alii ad sacrosanctæ Theologiæ profunditatem, alii ad iuris, & legum, alii ad Medicinæ studia transeunt. Hanc docendi rationem, omnibus pene Academicis probatam, & a paucis, non sine iuuentutis publico damno neglectam, ipse quoque probō, ac sumo. Atque hic quidem, ex discendum commoditate, constitutus ordo est. Alter naturalis est, qui rerum fastigia secutus, scientias nobis ad earum diuisionem partitur, quem si consulamus haud facile apparet, quomodo vnam scientiam appellare, & quibus terminis definite oporteat. Constituant quidem philosophi, vnam scientiam dici ab vna formali ratione obiecti, sed tamen quæ sit illa formalis ratio unitatis conciliatrix, necdum liquet. Caietanus unitatem formalem esse vult, quæ sumitur ex esse scibili, non autem ex esse speciei. Lumen scilicet, & color, obiectum sunt visus, non ex natura, & essentia, quæ diuersæ sunt, sed ex eo quod aspectabilia sunt. Verum maiore difficultate rem intrinsecat. Nam si corpus est obiectum Physicæ, secundum esse scibile, quod est vnum illud scibile, quod vnam scientiam efficit? Multa enim sunt corpora, ideoque multa scibilia, & si vnam scientiam constituunt, quia omnia sciri possunt, etiā spiritus & corpora in vnam iunguntur, quia sciri possunt. Et ipsum Ens omnia continens, est scibile.

*Tres abstra-
ctiones tria
scientiarum
genera ple-
risque con-
sunt.* Communis est distinctio scientiarum, per abstractiones ternas, quæ omnes pene quos vidi logici venditant. Nam Physica abstrahit a materia singulari, non autem a sensibili; species enim corporum, eorumque affectiones, non singularia considerat. Mathematica a singulari, & sensibili materia abstrahit, puncta enim, lineas, superficies, profunditates, abstrahit, in se; & non ut sunt in materia considerat. Metaphysica vero a singulari, a sensibili, ab intelligibili materia abstrahit, quia generalissima tantum, vel spiritalia speculatur, quæque positionem, & situm nullum habeant. Est fautor quod hac in re desidero; nam abstractiones illæ non conueniunt rationali, & morali scientiæ, quarum tamē insignis est dignitas: deinde si quantitati tribuitur specialis abstractio, potest tribui etiam qualitati, nam & quantitas sensibilis est, & qualitas; & de luce perspectiui tractant, qui se Mathematicos profitentur. Et profecto sine materia illa considerari potest. Denique Physica si corpus, & qualitatem, & quantitatem exponit, certe Metaphysica pauca relinquuntur. Querenda igitur est scientiarum distinctio, quæ natura constituta est; quæque sit in obiectis ante, quam illa mens nostra cognouerit. Ego ita censeo.

*Vna scien-
tia, ut vnu
obiectum
diuiditur.* §. 2. Vnam esse singularium rerum scientiam peculiarem, & vnam omnium generalem. Omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis,

cum demonstrari, scientiam teneo, cum plures eiusdem generis propositiones addidici, vnam totalem scientiam consecutus sum, ex similitudine rerum inter se affinium. Cum vero tota rerum vniuersitas, atque omnium entium systema, in ente cōueniat, pari modo generalissima scientia vna dicetur, quæ toti illi responderet. Et quemadmodum Ens latissime sumptum in suas partes, ita scientia in suas diuidetur. Quæadmodum enim ens generaliter sumptum est intelligibile, ita facultas intelligendi ad ens, & omnes eius partes extenditur, ad eundem modum habitus, aut vnus, aut ex multis constans, potentia intelligendi habilitat ad firmitatem adteret. Ita olim Plato l. 7. de rep. Proclus l. 1. c. 4. in Euclidem, Egidius Rom. Procem. Metaph. q. 22. itaque eius sententiæ, non agitor, sed illustrator est Antonius Minand. l. 3. euerione singularis certaminis sect. 6 & 7. Qui vero hanc rationem oppugnant, non satis animaduertunt, se, cum Physicam vnam scientiam vocant, res plurimas, & diuinctissimas in vnum obiectum cogere, nec posse legem dare aliis, quo minus plura etiam adiciant. Iplam Metaphysicam ad omnia rerum genera distrahunt. Verum nunc rerum naturam secuti, scientias diuidamus.

Diuiditur autem scientia latissime sumpta, in eam quæ agit de ente spirituali, & proprie est Metaphysica speculatiua, eius obiectum primarium spiritus increatus; secundarium creatus. Eius obiecto propter difficultatē adiecta sunt generalia aliarum scientiarum dogmata. Altera est Physica, quæ agit de ente materiali, continetque multas practicas, & speculatiuas, nomine autem entis materialis, intelligimus non tantum corpora, sed omnia accidentia etiam corporum, & quæcunque habent aliquem ordinem ad corpora, ut anima rationalis, intellectus, & voluntas humana, quia hæc est forma corporis, illæ autem proprietates istius formæ.

Physica hoc modo sumpta, diuiditur in Physicam presse sumptam, cuius obiectum est corpus naturale, quam partē Aristoteles suis libris Physicis explicat; & Mathematicam, quæ considerat quantitatem, quam partē maxime Euclides, & eius interpretes exponunt.

Physica iterum duplex, vel n. agit de corpore simpliciter, vel corpore misto ex simplicibus: si de simplici, vel de incorruptibili; vel de corruptibili; si de incorruptibili, est celestis; si de corruptibili, est elementaria; quas partes Arist. libris de cælis, generatione, & corruptione explicat. Hæc autem celestis, quæ Physica est, differt ab Astronomia, quæ ad Mathem. spectat. Physica enim quantitatem cælorum secundum se; eius materiam, & formam, efficientiamque considerat. Astronomia autem proportionem quantitatis, & magnitudines, ex principiis Mathem. Scientiæ de corpore misto obiectum, quicquid præter cælum, & elementa, in toto vniuerso inuenitur; & primo quidem alia est de mistis imperfectis, alia de perfectis. Imperfecta mista sunt, nix, glacies, nebula, cæteraque; quæ explicat Arist. libris Meteorologicis, reliqua autem perfecta, quæ scilicet habent perfectam elementorum temperiæ, ex quibus componuntur. Imperfecta autem ita habent vnum elementum prædominans, ut aliorum vix vires appareat. Mista autem perfecta alia sunt animata, alia inanima, de mistis in genere etiam agit Arist. duobus libris de generatione & corruptione, de animatis tribus libris de anima, paruis naturalibus, de generatione animalium. Inanima duas præcipuas partes habet Gemmariam, & Metallicam de quibus pauca Arist. multa Plinius, & Alchimystæ, & Cardanus libris de varietate rerum, & de subtilitate.

Scientia quæ est de animatis, vel de sensibilibus, vel expertibus sensus habetur, hæc posterior triplex arboræa, fructuaria, herbaria; nā radicularia, quam alii addunt omnibus his communis est. De his primo Arist. de platis, Dioscorides, Theophr. & eius interpres Iulius Scaliger, sensilium autem triplex est species, quas tum

*Scientiarum
diuisio sequi-
tur enim
diuisiones.*

*Vnus habi-
tus est multis
particulis,*

*Omnes sci-
entia plures
habitus in
vnum iun-
guat.*

*Scientia de
spiritu, &
corpore.*

*Physica ge-
neraliter.*

*Physica pres-
se, & Ma-
thetis.*

*De corpore
simplici,
misto.*

*Mista per-
fecta, im-
perfecta.*

Aristo-

Aristoteles, tum Gesnerus tractat diligens imprimis naturarum inuestigator.

Cum homo autem sit quasi parvus mundus, de eo plures sunt scientiæ, quasi species Anthropologiæ.

Medicina.

Nam si corpus spectemus, vel consideratur eius natura, & partes: & est species scientiæ de anima: de hac autem accuratissime agit Vesalius, vel considerat corp⁹ ut sanabile est, & est subalternata priori, Medicinæ scilicet, quam diuidunt in actiuam, & contemplatricem, quæ iterum diuidunt in physiologiam, quæ rerum naturas inquirat, ut earum viribus, ad sanitatem utatur; quam partem iterum diuidunt in physiologiam elementorum, humorum complexionum, potentiarum, membrorum, & in ætiologiam, quæ inuestigat causas omnium morborum, & symptomatum & tertio semioticam, quæ est signis coniectivæ præterita, vel præsentia, vel futura de his omnibus tractat est ab Hippocrate Coo, & eius interprete Galeno, ac deinde ab Auicenna, aliisque. Scientia autem quæ tractat de animo hominis, dici potest Noëtice, estq; triplex: primo quæ animi actiones, ut tales sunt, explicat, hæc vocatur solet Animalitice à latinis; huius duæ sunt, quasi subalternatæ: prima quæ dirigit operationes intellectus ad verum, Logica scilicet, vel voluntatis ad bonum, seu honestatē, estq; philosophia moralis, quæ iterum duplex, princeps, & ministræ; hæc dicitur oratoria, diuiditurq; in Dialecticam, Rhetoricam, & Poëtice. Illæ n. scientiæ sunt inuentæ ut voluntatē incitent ad honestum. Princeps vocatur Ethica, seu proprie moralis, cuius obiectum sunt actiones humane, ut bonæ, vel malæ; admodum varie hanc diuidunt, de quibus suo proprio loco: tractauit hanc Aristoteles in libris Nicomachiis, Magnis moralibus, Politicis. Huc referri potest Iurisprudentia, cuius altera pars est positia, altera epideictica, seu demonstratiua. Cuius variæ partes sunt. Scientia quæ tractat de quantitate; alia de continua agit; alia de discreta; quæ de continua vno nomine generaliter appellatur Geometria, diuiditur hæc dupliciter, alia n. agit de lineis, & superficiebus, & nomen proprium non habet, sed generale sibi vendicat, & vocatur Geometria; alia agit de corpore solido, diciturq; Stereometria quasi mensura solidorum.

Iurisprudentia.

Scientiæ de quantitate.

Adhuc aliter Geometriam diuidunt, in eam quæ de quantitate, ut per se existit, disputat; & continet has ita dictas, & in eam quæ quantitatem tractat, ut est coniuncta cum materia, sensibus obnoxia, & à parte sua primaria, vocatur Astronomia; alii vocant Mathematicam impuram, quia non agit de quantitate solitarie considerata. Hæc rursum diuiditur in Astrologiam, Geodasiam, perspectiuam, & Mechanicam.

Astrologia est quæ differit de motibus mundanis, magnitudine, figura, illuminatione, & distantia celestium corporum; eius partes sunt tres; Gnomonica; quæ positiuè gnomonis seu styli tempus metitur. Secundo Meteoroscopica, quæ eleuationum differentias, cæteraq; theoremata speculatur, tertio dioptrica, planarum distantias, & cæterarum stellarum instrumentis dioptriciis indagar. Respectiua, illa est, quæ radiis visoribus, linearum instar utitur, & angulis ex his lineis constitutis: Hæc iterum triplex est, primo perspectiua proprie dicta, quæ causas reddit earum apparentiarum, quæ aliter quam sunt, nobis esse videntur, vel propter distantias, vel situm, vel medium. Secunda specularia quæ versatur circa varias refractiones. Tertia, Sciographice quæ scilicet est umbrarum designatrix, & rationem reddit variarum apparentiarum ex umbris. Geodasia est scientia quæ res varias ut agros, acervos, puteos, turres visibilibus lineis metitur; hæc si de terra vniuersa & mari agat vocari solet Geographia; si de vna aliqua regione, Chorographia; si de vno aliquo loco, Topographia. Mechanica varias artes complectitur, & idcirco fere eandem cum ar-

Mechanice.

te definitionem habet, licet proprie Mechanicæ non sint illæ, quæ nullum post se opus relinquant, ut ars saltandi: huius autem partes sunt Architectonica, quæ est omnium ædificiorum, Organopoëtice, variarum machinarum, & instrumentorum, concinnatrix. Tertia Thaumapoëtice, quæ spiritibus, ponderibus, neruis, ignibus mira quædam efficit, huc referunt magi quam vocant naturalem, quæ nullis præstigiis magicis utitur, propter reconditam tamen cognitionem rerum, effectus tales edit, qui videantur naturaliter fieri non posse, sed ope demonum. Ut cum Archimedes solus nauem trahit. Circa quantitatem discretam versatur Arithmetica, aliam vocant speculatiuam, aliam practicam, hinc subalternata est Musica, quam itidem in speculatiuam, & practicam diuidunt. Vtrique tam practica, quam speculatiua diuiditur in Melicam, Harmonicam, Rhythum. Melica continet pedes oratorios, & poëticos; itaque quoad hanc partem poësis, & Rhetoricæ subalternabantur Musicæ. Harmonica est ratio sonorum acuti, & grauis, quorum proportionem omnes cantiones perficiuntur. Rhythmus est artificiosus corporis motus, secundum constitutionem choreæ. De ente in creato, Deo Optimo Maximo, S. Angelis multa scire nobis datum est, de Deo præsertim, qui utique ex creaturis cognosci potest.

Scientiæ quas nominavi multas sub se partes habent, & in singulis partibus difficultates, quas solum illi, qui diutissime, & diligentissime eis operam nauarunt esse nouerunt, nunquam penitus penetrarunt. Hæc omnia in republica docenda veniunt, & in horum vna parte excellere præclarum est. Verum mihi pro Republica agenti propositum est methodum sequi & modum tradendi ipsas scientias vulgare. Pluribus n. obstat discendi conturbatio, ne ad sapientiā veniant, quam ingenii imbecillitas, aut proficiendi voluntas.

CAP V T XVIII.

Grammaticæ institutiones quomodo docenda.

§. 1. Grammaticam omnium artium fundamentum dixerunt: sed fundamentum est postquam tentata turris cælo erigenda, linguas hominum in Babylonem confudit ingentem machinam illi, nullo vtu, sed superba vanitate molebantur, ut posteris admirationem facerent; ambitionem illam hodieq; luimus, ut teneros literis, & syllabis annos impedamus; multos annos signa rerum discimus, & pene senescimus, antequam loqui sciamus. Felix illa hominum soboles, quæ in peregrina verba linguam non torquebat, quæ sine labore, cum lacte, maternum sermonem bibebat. Nuncon iugationum & declinationum trix, varietateq; & ternæ, quaternæque linguæ, pessima, sed necessaria cura nos detinent. Sed quia iugum hoc omnibus nobis impositum est, ut leniter feramus; & prudentia leuius reddamus, conandum est.

§. 2. Primo quidem à paruis incipiendum, quia enim omnia simul capi non possunt, particulatim, omnia sunt teneris animis intellenda. Fascem illum colligatum imbecilla manus frangere non potest, idcirco singula virgulta comminuenda sunt. Pauca igitur, & varia, primæ proponantur ætati. Sit Schola, in qua rudimenta, & initia quædam, seu generalia quædam Syntaxeos, & orationis concinnandæ præcepta tradantur.

Societatis nostræ ordo ita habet; ut in Schola infima perfectæ rudimentorum, inchoatam Syntaxeos cognitionem magister tradat. Quinq; horis in singulos dies hæc docentur. Nam ostendere hæc animus est, multis aliis valitura, præsertim cum eo modo adolescentulos, & pueros pene humaniorum literarum Cyclopædian, absoluere animaduertam.

Duæ

Grammatica ante turrim Babylonem non necessaria.

Laboriosa linguarum est diuersitas.

Sensum tradenda pueris loquendi præcepta.

Societatis infima cito adolecentes Grammatica educit.